54. Quintum παρακολούθημα relatorum est, quod unô relatorum definitè cognitô, definitè etiam cognoscatur alterum, e. g. qui definitè ὡρισμένως novit duplum, definitè etiam novit dimidium, Arist. *l. categ. 7. §. 26.*

55. Definitê autem seu ὡρισμένως aliquid cognoscere est nihil aliud, quàm distinctè, perfectè, &, ut *Averroes ad d. l.* loquitur, *secundum complementum* cognoscere, e. g. ut definitè cognoscamus numerum quaternarium tanquam duplum, non sufficit, si cognoscatur ut duplum aliquod, sed perfectè cognosci debet ut *binarii* duplum, hoc est complementum ejus, teste *Averr.*

56. Concludit Aristoteles tandem doctrinam de relatis, & ostendit, quanta in illis rectè cognoscendis sit difficultas, ut non inutile sit, de illis dubitare, quia, judice *Ammonio*, ἡ ἀπορία ἀρχή ἐστι τῆς ἐμπειρίας καὶ ὁδὸς εἰς πρὸς μάθησιν i. e. *dubitatio est principium accuratioris cognitionis & via ad disciplinam.*

De relat. vid. egreg. disput. M. Frickii.